

Haleyoniis Ecclesiarum per Pol. gratularer, si fidi possit, sed turbulentum  
hoc mundi mare (ab infernalibus Aeolis mere ubique concitatum) vix aliquid  
tuto sperare permittit. Interim orandum est et animi ad omnia confirmandi.  
Mihi inter non bona omina est, quod vos constanter Exulum numero non tantum  
accensetis sed et præferri vultis, subsidia in exiles collata exilibus (ipsi non exu-  
les) præripiendo, constanterque nobis (veris ab annis 38 exilibus) quintam tan-  
tum partem obtrudi cupiendo. Urgetis Vos esse numeros plures et non additis  
Vos patriæ redditos (quamque inde numquam adhuc religionis nomine motos)  
nos nondum. Hoc etiam considerandum, Vos numquam fuisse impetraturos, quod  
impetratum est, nisi sub nostro exulum nomine nostraque anxia ope, dum Vobis  
nihil præter semel et iterum nomen adscribendi laboris esset. Si non evigilatis ob  
injuriam nobis illatam Deus judex erit. Deprecamur tamen potius judicium utrinque  
misericordiamque invocando fraterne nobiscum agamus. Cujus rei (redintegrati  
dico amoris) ecce facio initium! Vobis plus tribuendo etiamnum, quam nobis.  
Nempe dividendo totam summam (welche mehr als 1000 Thaler ausmacht)  
in partes 12 Vobisque tribuendo 7 nobis 5. Præterea supersunt 300 im-  
periales, quos, ut in portionem meam servem (qui haec tenus nihil participavi  
et ob quod partem meam Vobis donabam, id cessavit Mæcenas cum bene-  
ficiis suis in me privatis) suasit D. Stephanus jureque possem (æquitatis  
teste ac judice Deo et Mundo), ecce tamen medium horum mitto ad dilec-  
tum Collegam D. C. Bithnerum, cuius statum egestate præ aliis premi observo.  
Accipite igitur a D. Schmettau de illis 6000 — 3500: sed in præsens 2000  
tantum, reliquas 1500 intra annum, una cum foenore, quod (4 pro centum  
numerando licet hic alii non supra 3 solvant) 60 facit, accepturi. (Cathegorice:  
itzund Zweytausendt Rhl., über ein Jahr 1560.) Über das aber, dass die H. Schmett-  
auer anderthalbhundert Rhl. itzt gleich auss Zehlen (pro D. Bithnero dico)  
schreibe ich ihnen. Ad has meas quæso rescribe cito, ut quo affectu erga me et  
nos sitis, sciam et quomodo ultimam meam de meis dispositionem faciam, ne igno-  
rem. De novis, que hic occurrunt (hodie præsentim ex Anglia) ut F. Cornu  
scribat, jussi ad R. D. Bithnerum alias scripturus. Illi per te fraternum amorem et  
sub coelo adhuc mutui osculi desiderium renuntians.

16. Nov. 1666.

V. J. Comenius.

Addo: habere me nunc apud me duos Unitatis alumnos (præter Danielem  
meum, jam quoque Deo et Ecclesiæ dicatum) Joh. Cornu et Davidem Cassium:  
Feliciumque. Timotheum (qui Francofurto ad me seribit, studiorumque subsidia  
aut a me vocari sollicitat) futuro vere vocare cogito, si me vivere volet Deus. Ita  
emendicato illo pane vesci numquam haec tenus libuit soli, nec adhuc scio, unde  
pascantur, qui pascendo gregi Dominico destinantur, providebit omnium ille  
comunis nutritor et pastor Christus.

De F. Paulo Hartmanno nihil jam per menses 4. audio, tametsi a Nigrino  
crebras habeam literas. Negat sibi constare, quid illo fiat, ad aliquotenas suas  
nihil responsi accipiens: adeo ibi turbata sunt omnia sicut et ubique. Confusio-  
num non est finis, quia appropinquat finis. Amen.